



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Qualis in dubio Interpretatio fieri debeat donationis, & quando
præsumi possit donatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sine illius etiam consensu, si pius quidem sit, ad pia opera institutus, non tamen facit & Religiosus, auctoritate scilicet Episcopi erectus.

Tertiò habetur *ex cap. Apostolica 9. h. t.* quòd possit Episcopus, si in Diocesi sua velit Monasterium constituere, & de rebus Ecclesiæ, cui præsidet, dotare, eidem dare, nihil requisito Capituli sui consensu, partem quinquagesimam Censûs Ecclesiæ suæ, vel centesimam, si ex Ecclesia seculari, velit facere monasterium, aut in ea sepulchrum sibi eligat, modò per talem etiam donationem grave damnum suæ Ecclesiæ non inferat; & semel tantùm unam ex his, siue simul siue successivè donationem faciat, nisi valde abundantes essent illius Ecclesiæ redditus, quo in casu cum superioris, Pontificis scilicet, Auctoritate, majorem etiam quantitatem donare potest, ad sublevandam alterius Ecclesiæ inopiam, siue ad dotem constituendam, ad quam tenetur, si Ecclesiam vel ipse, vel antecessor ejus ædificavit, & non dotavit.

Quartò patet *ex cap. pastoralis 7. h. t.* sub verbis illis, quibus consentiente Patrono, Ecclesiam aliquam concedit Religiosis Episcopus: *concedimus vobis hanc Ecclesiam*: donari tali monasterio à Patrono, quod suum est, jus scilicet Patronatûs; & ab Episcopo temporales proventus, si quos in ea Ecclesia obtineat, vel si nullos proventus in tali Ecclesia habeat, donari omnes illius Ecclesiæ proventus monasterio (ita tamen ut Donatio talis cum consensu Capituli fiat, tanquam alienatio) ut ne frustratoria videatur, aut ex parte Patroni, aut

ex parte Episcopi donatio talis, fructu per eam in Monasterium v. g. transferatur: Excipitur tamen in tali donatione, quibuscunque tandem generalibus verbis fiat Cathedralicum, visitatio, & correctio, quæ semper in Ecclesia manet Episcopo.

§. V.

Qualis in dubio Interpretatio fieri debeat donationis, & quomodo præsumi possit donatio?

Donationis inter vivos latissima scienda est interpretatio in favore donatarij, prout constat *ex cap. cum dilecti 6. h. t.* cum enim donationes inter vivos ex mera liberalitate procedant, præritò præsumitur: quòd largissime etiam voluerit donator eas intelligi, & non modo restringi; nisi ille id expresse non quidem quasi latissima illius interpretatio faciendâ sit in præjudicium rerum, quatenus derogat juri communi, hæc sint odiosa, & restringi potius extendi debeant *juxta reg. 17. in A.* quando agitur de præjudicio tantum cedentis. Et quamvis sit generalis regula, quòd donatio præsumi non debet, quoties alia interpretatio, vel constructio fieri potest, cum nemo tam facile seatur rebus suis se privare, patitur tamen etiam hæc regula suas exceptiones: sic primò si vir Nobilis, aut Illustis, & dives det aliquid, donare præsumitur modò Summa aut res data non sit inobliquè magna, cum liberalitas sit propria Virtus nobilium, ut insinuat Pontifex *in cap. prudentes 1. h. t.* secundo præsumitur

mitur donatio facta, cum merita ex parte donatarii præcesserunt; in isto enim casu præsumitur facta fuisse donatio remuneratoria: tertio præsumitur donatio, cum venditor rem suam, nullâ necessitate, aut dolo inductus, sciens illius justum pretium, levioere tamen pretio vendit &c. vide apud Menochium plures casus præsumptæ donationis de arbit. l. d. casu 8. n. ult.

§. VI.

An & quando donatio inter vivos revocari possit, ob ingratitudinem?

Donatio inter vivos semel legitime facta, & acceptata revocari regulariter non potest (quia semel legitime acquisitum, auferri huic non potest, nec quidem à Principe, nisi ex justâ publicæ utilitatis v. g. causâ) si tamen donatarius ingratum se exhibeat erga donantem, impias v. g. & violentas manus in illius personam, aut proximè illi conjunctam injiciendo, atrocibus injuriis, sive verbis contumeliosis, & injuriis in eum invehendo, grave damnum ipsi in rebus suis inferendo, grave vitæ periculum, & insidias vitæ illius struendo &c. poterit ob ingratitudinem talem, à donante de rigore juris, sive juxta jus scriptum, donatio facta revocari, ita ut probatâ ingratitudine, & sententiâ pro donatore à Jure laicâ (sine cujus sententiâ non fit ipso jure ob ingratitudinem revocatio donationis) fructus etiam ex re donata, à tempore contestatæ liti percepti, restitui debeant.

Neque tamen quælibet donatio ob

ingratitudinem revocari potest; sic primò remuneratoria donatio, vel ob causam facta revocari non potest ob ingratitudinem, tum quòd non sit propriè dicta donatio, & consequenter sub odioso revocationis verbo non comprehendatur, tum quòd vim habeat potius justæ compensationis, quàm merè liberalis donationis, si tamen merita præstita non multùm excedat. Secundò revocari non possunt donationes factæ Ecclesiis, monasteriis &c. ob ingratitudinem Prælati seu administratoris, vel Capituli, aut utriusque simul, quia tales donationes censentur factæ Deo, in quem nulla ingratitudo cadere potest. Tertio revocari non potest donatio pro dote assignata filiæ, ob ejus aut mariti ingratitudinem, post contractum matrimonium, cum donatio talis ob causam necessariam facta, non videatur habere sufficientem liberalitatem; sicut & donatio propter nuptias facta. Quarto revocari non potest, collatio beneficij, ob ingratitudinem beneficiati in collatorem, quamvis enim talis collatio, donationis aliquid videatur habere, propriè tamen donatio non est, cum collator, etiam si non necessariò huic conferre debeat beneficium, absolutè tamen ad beneficium conferendum obligetur. Quintò si donator scivit ingratitudinem donatarii, & tacuit, voluntatem revocandi donationem nihil declarando, non potest illius revocare factam donationem, tum quòd jus revocandi, sit jus personale, ex speciali ratione donanti conveniens, quod cum illius morte, sicuti alia jura